



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

De Absolutione ab Excommunicatione in foro exterior.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

ctis Sacramentis Ecclesiæ: deinde, eadem autoritate, Absolvo te ✠ à peccatis tuis.

Nota bene. Noverint hic Confessarii, quando in Bullis Pontificiis datur facultas absolvendi ab omnibus Censuris, se nihil idcirco posse in causis irregularitatis, nisi id quoque specialiter expressum & permissum eis fuerit.

De Absolutione ab Excommunicatione in foro exteriori.

SI potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit à Superiore, & in mandato certa forma sit præscripta, illa omnino servanda est. Si verò in mandato seu commissione dicitur, In forma Ecclesiæ consueta absolvat; hæc servanda sunt:

Primò, ut excommunicatus ei, ob cuius offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quòd si tunc non possit, sufficientem cautionem præstet; aut saltem, si eam præstare non potest, juret, se, cum primùm poterit, satisfacturum.

Secundò, si crimen, ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fiunt pro tali causa: ac præcipue, ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

Denique hunc absolvendi ritum observabit.

Pœnitentem, coram se genu utroque flexo, in humero (si vir fuerit,) usque ad camisiam exclusive, denu- dato, virga aut funiculis, sedens, leviter percutit, dicen- do totum Psalmum, Miserere mei Deus, &c. cum Gloria Patri, &c. Deinde surgit, &, aperto capite,

dicit:

dicit : Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo. *Vers.* Salvum fac servum tuum, (ancillam tuam,) Domine. *Resp.* Deus meus sperantem in te. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eo, (in ea.) *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. *Vers.* Esto ei Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratione tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Mox sedet, & cooperto capite dicit :

Dominus noster IESVS Christus te absolvat : & ego te, autoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ, (*vel* Reverendissimi Episcopi N. *vel talis* Superioris) mihi commissa, absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (*vel* incurrisse declaratus es,) propter tale factum, (*vel* cau-

O fam,

fam, &c.) & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit à superiore præscripta forma, nec sibi mandatum ut in forma Ecclesiæ communi vel consueta absolvat, tunc nihilominus, pro rei gravitate, prædictam carimoniam & preces adhibeat: at vero, si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster IESVS Christus te absolvat: & ego, autoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (si à Papa fuerit delegatus) (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris) mihi concessa, absolvo te &c. ut supra.

In foro autem interiori, Confessarius, habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam sequentem:

Ego, facultate mihi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis majoris, quam incurristi (hic exprimaturs causa, ob quam est excommunicatus;) & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Deinde, eadem autoritate, ego te absolvo à peccatis, &c.

Nota bene. Quod si plures sint causæ ob quas est
quis-